

**Dissertatio medica inauguralis, de haemorrhoida ... / eruditorum examini  
subjicit Henricus Blake.**

**Contributors**

Blake, Henry.  
Lister, Dr  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/b9jzswhs>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHOIDÆ.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SWMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

HENRICUS BLAKE,

HIBERNUS.

Regiae Societatis Medicae Edinensis Sodalis.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGII:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.



Viro vitae integerrimo,

M A T T H Æ O J O Y C E, M. D.

Qui hominibus,

Morbis duraque pauperie laborantibus,

Auxilio nunquam defuit,

Et inter assiduas artis salutaris

Occupationes,

Literas humaniores semper feliciterque coluit,

Hasce studiorum primitias,

In grati animi testimonium,

Utut exiguum,

D. D. D. C. Q.

A U C T O R.

W<sup>r</sup>. Sister with Compliments  
from his humble servant  
Henry Blake

1000

DISSE

R

TAT

I

O

M

E

D

I

C

A

,

I N A U G U R A L I S,

H Æ M O R R H O I D E.

**E**X variis morbosis affectionibus, quibus patet genus humanum, vix ullaे dantur (febres si exceperis) quae homines frequentius invadunt, quam spontaneae sanguinis effusiones. Nulli aetati, nulli sexui parcunt, et forsitan in his, quam in aliis regionibus, et frequentiores et notabiliores sunt, ob lautiorem diaetam, et texturam corporis magis raram atque spongiosam, quibus praediti sunt incolae. De universis autem haemorrhagiis fusius tractare non in animo est; vetat enim virium nostrarum exiguitas, neque id sinunt speciminis inauguralis limites arctiores. Hujuscce autem Academiae legibus morem

A gerentes,

gerentes, pauca de Haemorrhoidæ, corporisque conditionibus quæ ad illam disponunt, in medium proferemus.

## MORBI DEFINITIO.

Capitis gravitas vel dolor, vertigo, lumborum dolor, dolor ani, circa anum tubercula livida dolentia, e quibus plerumque profluit sanguis, qui aliquando etiam, nullo tumore apparente, ex ano stillat \*.

## DIAGNOSES.

Quando' tubercula seu mariscae, intestini recti finem obsidentes, externe se produnt, hunc morbum ab omnibus aliis evidentissime discriminant. Si vero sanguis ex ramis haemorrhoidalibus venae portarum effundatur, simulque urgeant tenesmus, muci excretio, atque tormina ventris, (licet leviora sint quam in dysenteria), non adeò

\* Cullen, synop. nosologiae, G. 40.

ædeo evidens diagnosis. Tunc quidem historia morbi, atque prevalentis epidemici cognitio, ad idoneam stabiliendam distinctionem quam maxime necessariae sunt. Dysenteria enim tantum non semper ex contagione oritur, et pyrexiam plus minusve notabilem comitem semper habet. Haemorrhoidis vero post intervalla, nunc breviora nunc protractiora revertens, dolores gravativos in hypogastrio tantum, atque in viris stranguriam, gignit. Febris autem rarius, saltem non necessario illam comitatur. In dysenteria quoque mucus vel faeces sanguine imbutae, non absque atrocibus aegri torminibus, dejiciuntur ; in haemorrhoido, post alvi dejectionem, fere semper pleno rivo effunditur sanguis, absque magno aegri incommodo.

## HISTORIA MORBI.

Haemorrhoidum fluxum plerumque antecedunt ventriculi imbecillitas atque inflatio, dolor capitis, sensationes molestae, tensivae, atque gravantes in hypochondriis, alvi tarditas nimia, ructus, atque multa alia vitiatae coctionis symptomata ; dolor obtusus, atque ponderis sensus in perinaeo,

perinaeo, ad podicem, circa os sacrum atque lumbos. Quando autem difficilius erumpunt hæmorrhoides, sanguisque ingenti copia evacuari debet, tunc acerbiora sunt haec symptomata, atque alia adhuc graviora illis accedunt. Vertigo, nempe, capitis dolor lancinans, tinnitus auri-um, horripilatio, vasorum extremerum constrictio, pulsus durus, validus, atque frequens, dolores acerbissimi versus pubem, atque in cervice vesicae in viris, unde stranguria atque dysuria oriuntur. Frequens ad dejiciendum stimulus, cum muci exclusione; pruritus quoque, ardor, atque congestionis sensus, circa ultimi intestini finem percipiuntur. Animus mirum in modum dejicitur; in somnum proclives sunt aegri, sed male inde reficiuntur, atque spirandi difficultate quandoque etiam laborant.

Postquam haec symptomata, nunc graviora nunc mitiora, atque plus minusve complicata, per duos tresve dies perduraverunt, sanguis plerumque inter dejiciendum extillat, quandoque vero pleno rivo effunditur. Alvi enim siccitas, hoc morbo laborantibus familiaris, facit, ut non nisi maximis conatibus faeces induratae, atque in scybalia coactae, eliminentur; harum vero pressione, atque durantibus illis egerendi conatibus, va-

sa sanguine turgida, seu mariscae quae saepius sanguinem fundunt, disrumpuntur, mitigantur symptomata, atque sine ullo sensu molesto plerumque effluit sanguis: Sed non semper; nonnulli enim aegri pessimis mulctantur cruciatibus, ac, desinente haemorrhagia, sensum aliquem molestissimum circa exitum intestini recti percipiunt, ac si pruni, vel fructus cuiusvis majoris, nucleus, vel aliud quoddam corpus durum atque rotundum, ano inhaereret. Ad amovendum hoc impedimentum, omnis nifus intenditur, spiritus retinetur, musculi abdominales magna vi contrahuntur. Tantis vero conatibus non cedit pertinax hoc malum, sola evacuatione, atque animi corporisque quiete, sublevandum.

Sanguis floridus, atque optimis dotibus praeditus, plerumque excernitur; illum vero quandoque atrum, spissum, atque in frusta coactum esse, testantur Hoffmannus atque Junckerus.

Notari vero meretur, quod in quibusdam aegris, post praegressa fluxus haemorrhoidalis symptomata, loco sanguinis sinceri, materies quaedam albicans atque mucilaginosa excernitur, quae congestionem localem, atque alia quae inde sequuntur mala, solvit: Tales vero aegri haemorhoide alba seu decolorata laborare dicuntur.

Monet quoque Junckerus, muci excretionem interdum ipsum sanguinis fluxum antecedere, interdum vero eundem sequi ; in priori enim casu, disrupta seu dilatata vasorum orificia, non adhuc satis patula sunt, ut sincerum sanguinem fundant ; sed jam sublata, per praecedentem haemorrhagiam, congestione, necessario contrahuntur vasa, vi sua resiliente atque fibrarum muscularium ope, particulis rubris exitum denegantia, solum mucum (donec integre obturantur) excernunt.

Copia sanguinis amissi, quandoque licet rarius, libram unam duasve aequat ; in plerisque vero aegris vix totidem uncias excedit. Quando autem oppido magna est sanguinis jactura, univerfi corporis debilitatem, lipothymiam, imo ipsam mortem, inducere valet ; vel saltem ad hydropem et anasarcam, ascitem, aliosve morbos qui ex debilitate oriuntur, viam sternit. Sanguinis enim rubri jactura difficilius reparatur in corpore subita hac evacuatione debilitato. Deficit lympha coagulabilis, quae debitam sanguini spissitatem, atque solidis tensionem, indeque pendentem tonum, impertit. Humores vero justo tenuiores, per vasa laxata, neque ut decet resistentia, elabuntur, atque effusiones serofas in tela cellulosa, vel in majoribus corporis cavitatibus, efficiunt. Va-  
fa

sa autem absorbentia, debilitatis quoque participes, ad propria sua munera exercenda, vel huic vitio auxilio esse, haud valent.

Fluxus haemorrhoidalis per plures dies, imo etiam hebdomadas, quandoque perdurat. Quia vero sensim atque per vices effunditur sanguis, vasa propria sua vi contrahente arctantur, atque humoris intra cava sua collecto se facilius accommodant. Hocque modo plura praecaventur mala, quae aliter oriri debuissent; et, si vasa sanguifera hac facultate caruissent, vix intelligendum foret, tam raro lethalia esse illa effusiora sanguinis profluvia, quae in hac, non secus ac in aliis haemorrhagiis, contingunt.

Celeberrimus Stahlius (qui novam in medicina, non secus ac in chemia, epocham effecit) ejusque sectatores affirmant, fluxum haemorrhoidalem in plerisque aegris stata tempora, sive menstrua sive anniversaria, observare. Sic Junckerus, qui praecepta Stahliana collegit, ac juris publici fecit, haemorrhoides in periodicas et in vagas distinguit, sequentemque aegri historiam enarrat: “Sic notus est vir, qui per plures annos, die cuiusvis mensis decimo-octavo praecise haemorrhoides experitur, non obstante quod menses numero dierum impares sint,” (p. 67.) Ad hanc quoque senten-

sententiam accessit Cullenus, in absoluto illo opere, quod ultimo anno evulgavit\*. Sed, in praelectionibus suis, solito candore fatetur, se ad hanc sententiam amplectendam perductum fuisse, ex aliorum medicorum fide dignorum observationibus, potius quam ex proprio experientiae penu, quae alteri atque plane oppositae opinioni magis faveret.

Neminem, scientia medica leviter etiam imbutum, latet, eruditissimum Mead multis atque speciosis argumentis demonstrare conatum fuisse, Solem praecipue vero Lunam mirum atque latum imperium in corpus humanum exercere. In illa enim opinione haerebat, ac si omnes spontaneae sanguinis effusiones, tum in viris tum in foeminis contingentes, Lunae actioni (ignotae quidem atque inexplicabili) parere debuissent. Hodie etiam non desunt multi, nec infimi nominis medici, qui plures in corpore effectus ex eodem fonte oriri, fibimet ipsis, aliis persuadent. Lubrico vero si ullo fundamento nobis inniti videtur haec opinio. Quamvis enim Luna verticalis (ex. gr.) eandem actionem in aërem atmosphaericum, ac in maris aquas exerceat, tamen non inde

\* Pract. of phys. par. 895.

inde sequitur, aëris ambientis pressionem in corpus humanum minui. Sublato enim aëris aequilibrio, columnae hujus fluidi vicinae, in locum rarefactum ruunt, atque pressionem ejus aequabilem reddunt. Insuper, ex Ramazini observationibus barometro institutis, ipsoque egregio Mead citatis, patet, nullam observari posse notabilem mutationem, circa hydrargyri altitudinem, neque quando prima Lunae cornua apparent, vel quum totum jam orbem impleverit. Omnibus ideoque perpensis his argumentis, vix aut ne vix quidquam Lunae actioni tribuere possumus; potius vero cum illustr. Monro (cui tantum debent medicina atque anatomia) afferemus, omnino abnormem atque irregularem esse hunc fluxum.

Quando vero menes per aetatem cessantes excipit, vel quando suppressae sequioris sexus evacuationi menstruae vicariam quasi opem gerit, post intervalla menstrua quandoque, licet rarius, recurrit.

Notari quoque meretur, quod, si ex sola systematis sanguiferi plenitudine oriatur hoc sanguinis profluvium, certum temporis intervallum posse requiri, ut sanguis accumuletur qua decet copia, ad superandam vasorum resistentiam; et nemo ignorat, consuetudinis legem multum valere, tam

in dirigendis, quam in promovendis haemorrhagiis semel ortis \*.

In viris haemorrhoides laborantibus, ingens sanguinis copia, per urethram aliquando, licet rarius, excernitur. Sanguis hicce nunc liquidus pleno rivo effluit, nunc vero tarde exstillans, dum in urethra haeret, in concretiones vermiformes cogitur. Vesicae enim vasa, propter vicinitatem, membranarum continuitatem, sed praecipue ob crebras inosculationes cum vasis haemorrhoidalibus, iisdem morbis patent. In illis quoque sanguis accumulatur, et ex iisdem caufis illorum latera disrupta illum fundunt. Hoffmannus jure celeber.

\* Quamvis vero afferere ausi sumus, haemorrhoides nunquam, vel saltem rarissime, statas periodos observare, nos tamen non latet, quod tempore vernali quam saepissime occurrant; et plures sunt homines, qui solo vere per nonnullos annos hunc fluxum patiuntur. Vel quia novus calor corporis humores plus rarefacit, quam vasa continentia laxat, hocque modo plethoram spuriam ad volumen dictam efficit, vel potius, quia grato suo stimulo cor atque arterias in fortiores frequentioresque contractiones ciet, sanguinisque circulantis impetum adauget. Humores solito majori vi per vasa impulsi, illorum resistentiam tandem superant, maxime in illis partibus, ubi idoneo renixu carent. Et si quis partem aliquam imbecillam habuerit, exinde plerumque effluit sanguis.

celeber. inter varias mictus cruenti species, sanguinis effusionem, ex distentis cervicis vesicae vasis, enumerat \*. Et in eodem loco, ut maiorem auctoritatem huic opinioni afferat, Caelium Aurelianum citat. Hic enim speciatim afferit, ‘Etiam in vesica haemorrhoides generari, quae fluorem sanguinis praestant, quibusdam intervallis variatum :’ Haec accumulatio sanguinis in vesicae vasis, rationem reddit stranguria, atque doloris lacinantis in perinaeo vel pubi, quibus aegri saepius torquentur.

† Cum vero nimis notum sit, vias uriniferas mira sympathia inter se conjungi, solosque renes laborasse docuerint cadaverum sectiones, dum morbi sedes, communi medicorum consensu, in vesica haerere statuebatur ; verisimile quidem videtur, renes quoque in congestionem proclives esse, et aliquam sanguinis per urethram effusum partem ex illis derivari.

Jam monuerunt Junckerus atque Hoffmannus, renum functiones ab haemorrhoidibus saepius turbari ; nec improbabile est, horum propria munera insigniter depravari, vel etiam integre deleti, repetitis illis congestionibus. Interea autem totum corpus exhauriunt atque debilitant nimiae

sanguinis

\* Sect. 1. cap. vi. art. iv.

† Morgagn. epist. 42.

sanguinis effusiones, vasa debilitata in humores contentos minori quam decet vi agunt, neque debitam cras in illis conciliare, neque in propriam hominis naturam mutare, valent. Sed humores crudi atque indigesti, parum vel nihil mutati, per laxa et vix renitentia renum vasa \* elabuntur. Saltem his causis originem debere videtur illa immedicabilis diabetes, quae effusorem fluxum haemorrhoidalem quandoque excipit, et quae morbo vitaेःque finem brevi imponit.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Praecipua symptomata quae hunc morbum comitantur, et quae ejus naturam indicant, oriri videntur ex sanguine congesto exitum moliente, vel ex plethora universi corporis, vel denique, sed maxime, ex alvo pertinaciter adstricta. Ventriculus enim inde male se habet, totumque corpus, praeter modum mobile, a levioribus etiam causis stimulantibus insigniter commovetur. Ex eodem fonte quoque oriuntur, dolor capitis, vertigo, spirandi difficultas, aëris extricatio, et per gulam eruptio ; denique, illa anxietas vix toleranda, quae miseris

\* Vid. clar. Home clin. exper. Diabetes, sect. xvi.  
p. 316.—18.

miseros aegros fere exanimat. Intestina quoque distenta atque irritata, insignes dolores, viscerum subjacentium affectiones mentientes, inducunt. In morbo quoque graviori mirum commercium, ad inexplicabilem sympathiam nervosam forsan referendum, inter intestinum rectum atque ventriculum obtinere dicetur. Et, ob hanc causam forsan, arthritici (in quibus fere semper ventriculus male se habet) haemorrhoidibus adeo obnoxii sunt. Observavit enim celeber. Cullenus, artuum inflammationes arthriticas, atque tumores haemorrhoidales se mutuo excipere, saepiusque alternari. Sed notandum est, quod alvi durities, podagrericis adeo familiaris, multum hic conferre videatur ; nam ex hac causa saepius oritur haemorrhoides, quam ex omnibus aliis simul junctis.

## DE CAUSIS REMOTIS.

Homines plethorici, quorum vasa nimio sanguine turgent, in hunc morbum proclives sunt. Illi, nempe, qui lauta atque plena dieta utuntur, qui somno vinoque indulgent, et qui desidiae nimis dediti, omnia fere corporis exercitia spernunt. Nec a ratione abhorret, homines, temperamento sanguineo-melancholico praeditos, haemorrhoidibus

bus maxime obnoxios esse. Illi enim habent venas magnas atque capaces, motum sanguinis languidorem, et omnes corporis excretiones solito parciores. Illis quoque tubi intestinalis torpor quasi proprius est; ideoque saepe male concoquunt, alvum pigram habent, et viscerum abdominalium obstructionibus haud raro vexantur.

Illi quoque qui in juventute narium haemorrhagiis, et in proiectiori aetate, pulmonum congestionibus atque haemoptysi laboraverunt, huic morbo obnoxii sunt; et foeminae uterum gerentes hoc profluvio saepius affliguntur. Qui vitae genus sedentarium colunt, in quo, corpus erectum, atque motus fere expers, per longum tempus manere debet, haemorrhoidem haud raro patiuntur.

Testantur Hoffmannus atque Junckerus, labem haereditariam, a parentibus in liberos transmissem, huic morbo quandoque viam sternere. Et ad hanc opinionem stabiendam, sequentem historiam enarrat Hoffmannus \*: ‘ Non ita pri-  
‘ dem accessit ad me quidam hujus loci caufa-  
‘ rum patronus trigesimum aetatis annum su-  
‘ perans, gracilioris quidem, sed fibrosi corporis  
‘ habitus, qui mihi apperuit, quod per quinde-  
‘ cim

\* De dolor. et spasm. extern. sect. 2. ch. viii. casus VIII.

‘cim et ultra annos, singulis fere mensibus, fan-  
 ‘guinis fluxum per sedem expertus fuerit; ad  
 ‘quem disposita tota ejus familia, ita ut non so-  
 ‘lum pater et mater continuo hunc fluxum passi  
 ‘fuerunt, sed etiam in liberos, imo ipsas foemi-  
 ‘nas, circa annum duodecimum et decimum  
 ‘quintum, mensibus licet fluentibus, idem iste  
 ‘redundaverit.’ In altero vero loco \* monet  
 auctor nunc citatus, haemorrhoides in prima ae-  
 tate comparentes, nunquam periculo vacare; sic  
 enim loquitur: ‘Ego quidem permultis confir-  
 ‘matum habeo exemplis, haemorrhoides in in-  
 ‘fantibus ac pueris jam prodeuentes, accendentibus  
 ‘pubertatis vel juventutis annis, raro alium quam  
 ‘finistrum, ac utplurimum funestum sortiri even-  
 ‘tum;’ verisimile enim est talibus in aegris vis-  
 cera abdominis infarcta atque obstructa esse.

Inter varias hujuscemodi morbi causas occasiona-  
 les, primum locum jure sibi vindicat alvus  
 tarda atque sicca. A faecibus enim induratis  
 atque crassis, oritur distensionis stimulus, vali-  
 diffimus nempe, qui solido vivo admoveri po-  
 test. Sed non sola hac vi pollet constipatio,  
 ad invitandum sanguinem in vasa quae in-  
 testiō

\* De febre tertiana, ad finem.

testino recto prospiciunt. Materies enim faculenta diutius retenta, atque calori corporis (ad promovendam putredinem quam maxime opportuno) subiecta, in ultimum fermentationis grādum ruit; acrimonia sua partes vicinas stimulat, majoremque sanguinis copiam illic invitat; mole vero in venas premendo, ejus redditum impedit, unde congestio localis oriri debet. Insuper, docet alvi siccitas, vasa absorbentia tubi intestinalis maxima vi pollere; si vero augeatur chyli ingestī copia, eadem manente materia excreta, plethora necessario producitur.

Viscerum quoque abdominalium, praecipue vero hepatis, obſtructiones atque infarctus, qui febres intermittentes comitantur vel sequuntur, et quibus, febre jam profigata, nulla vel saltem insufficiens medela adhibetur, inter haemorrhoidis causas recenſeri merentur. Et, quando a tali cauſa oritur morbus, infausto eventu plerumque terminatur, uti monet toties laudatus Hoffmannus: ‘Exitialis haemorrhoidum excedentium eventus certius imminet, si tumor hepatis vel lienis, hypochondriorum inflatio, cum alvo astricione, incipiens cachexia atque hydrops hanc sanguinis effusionem induxerunt.’

Quac:

Quaecunque denique sanguinis affluxum copiosiorem ad loca haemorrhoidalia provocant, ejusque redditum impediunt, vel saltem commorantur, homines in hunc morbum proclives redundunt. Aloes, myrrha, gummi ammoniacum, galbanum, aliaque gummi resinosa, purgantia quoque acria, quae, viribus concoctionis parum vel nihil mutata, intestinis crassis integram suam acrimoniam inferunt, modo nunc dicto ad haemorrhoides disponunt, vel jam suppressas revocant.

Impensiores corporis concussions, inter saltandum, equitandum, &c. hujusci morbi praedispositionem latentem in actum aliquando deducunt. Vini, cerevisiae, vel fortioris cujusvis potus spirituosi, liberalior usus, calor externus seu internus, pathemata animi incitantia, inter fluxus effusioris causas excitantes enumerari debent. Frigus quoque corpori admotum cutis vasa constringit, sanguinem a superficie repellit, congestinibusque internis occasionem praebet; nec aliter in praedispositis haemorrhoides, non secus ac alias haemorrhagias, inducit.

Missis nunc causis praedisponentibus atque occasionalibus, hujusce morbi natura atque indoles suadent, ut ad alteram atque magis generalem

causam animum attendamus ; plethoram, nempe, seu nimiam vasorum plenitudinem. Haec quidem omnem haemorrhagiam activam (scilicet, quae ex aucta vasorum actione oritur) comitatur, et vitiatae conformatio[n]is effectus magis notabiles reddit. Neminem medicinae, seu potius physiologiae gnarum, latet, omnia corporis vasa, a sanguine contento, distenta esse ultra illam capacitatem quam sui juris facta haberent. Nimis quoque notum est, totius corporis, omniumque ejus partium, lentum atque successivum incrementum pendere ab extensione systematis arteriosi. Dum crescit corpus, ratio quidem suaderet, arteriarum plethoram (cui præcipue innititur illarum extensio) obtinere debere ; sed haec opinio non solum rationi consentanea est, verum etiam versutissimis experimentis, a celeberrimo Wintringham \* institutis, suffulcitur. Docent enim haec tantamina, omnium animalium venas, cum arteriis comparatas, densiores atque fortiores esse in prima, quam in proiecta aetate. Ideoque, transitu sanguinis ex arteriis in venas aegrius expedito, in junioribus animalibus necessario accumulari debet in systemate arterioso. Cum vero ar-

teriae

\* An experimental inquiry on some parts of the animal structure ; Exp. 1. to 10.

teriae perpetuam pressionem experiantur, et vim quoque muscularē exerant, et dum distenduntur, nova apposita materia quotidie firmiores atque validiores evadant, donec tandem venarum firmitatem vel aequent, vel etiam superent: Tunc quidem plethora venosa, priori contraria, obtinet. Et inter hanc, atque illam, probe distinguendum est; quoniam arteriosa in prima, venosa autem in proiectiori aetate occurrit. Putat Illustris Cullenus, qui tantam lucem huic rei attulit, plethoram venosam circa trigesimum quintum aetatis annum incipere, postquam corpus ad ultimum sui incrementi fastigium jam pervenerit, finemque ulteriori incremento ponit, arteriarum perpetua compressione induratarum rigiditas adeo aucta, ut amplius distendi nequeant. Postquam homo aetatem jam memoratam impleverit, revera venae magis capaces factae, supra cutim prominunt; praecipue in viris, quorum solida ab exercitatione magis rigescunt. Arteriae vero quotidie magis firmae atque durae fiunt, et in ultimo senio in substantiam cartilaginosam, vel demum in verum os, mutantur. Plurima vasa minora occluduntur, sanguis tardius cor versus redit, ejusque pulsationes rarae atque languidae evincunt, jam deficere humorem distendentem,

qui

qui ad propria sua munera illud organum ciet. Aucta haec arteriarum densitas, atque minuta capacitas faciunt, ut sanguis justo majori copia in venis sodalibus accumuletur; imprimis vero in illis, quae valvulis carent, quae in partibus laxis et parum renitentibus haerent, et quae denique vix pressioni patent. Omnes hæc causæ nunc recensitae, congestionem in vena porta, praecipue vero in ramis ejus inferioribus atque magis pendulis, inducere debent: Causisque localibus simul conspirantibus, haemorrhoidis certo certius imminet. Et, quamvis prima morbi sedes in solis venae portae ramis haereat, tamen, ob crebras intusculationes horum vasorum cum vena hypogastrica seu haemorrhoidalii externa, in hac quoque sanguis accumulabitur. Et tumores haemorrhoidales externi, qui raro sanguinem plorant, ex hac causa oriri videntur. Pondus sanguinis, per venae portae ramos redeuntis, ejus motum quoque retardat, et forsan hanc ob causam congettiones in vasibus haemorrhoidalibus frequentius quam in capite occurrunt.—Cur haemorrhoides, in provecta aetate cessantes, excipit apoplexia? An primo tonum amittunt haec vasa quae primo evolvuntur atque perficiuntur, sic ut majorem sanguinis copiam recipient, quam illorum

capacitati naturali respondeat? Fatuitas atque memoriae imbecillitas, senectute prorsus confectis adeo familiares, dum caeterae corporis functiones adhuc vigent, docent verisimilem saltem esse hanc opinionem.

Quandoque, licet rarius, haemorrhoidis homines invadit antequam plethora venosa obtinet. In his quidem, a solis causis localibus originem ducere videtur; tales vero sunt nimia alvi siccitas, procidentia ani, ex utero gravido in vicinas partes pressio, obstrunctiones viscerum abdominis, labes haereditaria; vitae quoque genus, quo homines utuntur, ad promovendam in vasis haemorrhoidalibus congestionem multum conferre potest.

Non multum abfuit quin crederent omnes illi qui Illustr. Stahlii vestigia preffrerunt, hunc fluxum tales effectus in viris edere, quales catamenia in foeminis; et forsan hac opinione innixi afferuerunt, priores in hunc morbum magis proclives esse\*. Cel. autem Cullenus, praxi luctucentissima per plures annos versatus, affirmat, se contrarium, in his saltem regionibus, observasse. Et, si nobis fas sit opinionem nostram interpone-

re,

\* Juncker. p. 69.

re, quando medicinæ principes, de re quavis minus certa discrepant, nos quoque in sententiam Cullenianam, quippe rationi magis consentaneam, discedere lubenter fatebimur.

Foeminis enim contingunt solida minus valida atque firma, nec adeo promoventur excretiones, corporis exercitationibus, ideoque in nimiam plenitudinem magis proclives esse debent. Insuper, sanguinis venosi reditus saepe languet, ob vitam fendentariam qua utuntur. Et alvi durities, qua magis infestantur, justo majorem sanguinis copiam in vasis haemorrhoidalibus congerit. Denique, vitae etiam munera, quibus a natura destinantur, illas huic morbo obnoxias reddunt. Dum enim uterus gerere incipiunt, plethora plus minusve laborant, ob retentum fluxum menstruum, qui parvuli foetus nutritioni, vel incremento, totus impendi nequit; quum vero, ultimis graviditatis temporibus, uterus insignem molem jam adeptus fuerit, venas vicinas comprimit, et, liberum sanguinis reditum impediendo, congestiones haemorrhoidales efficit. Totiesque laudatus Cullenus notavit, primam hujus morbi invasionem in foeminis uterus gerentibus observari, et per paucas esse puerperas, quae multos liberos pro-

cre-

creaverint, quae ex hoc malo omnino immunes evaferunt.

Praeterea nunc omnibus hujusce morbi causis, nunc tractanda est tumorum qui sanguinem fundunt natura, et quaerendus quoque sanguinis effusi fons atque origo.

Ex priscis medicinae temporibus invaluit opinio, tumores haemorrhoidales nil aliud esse, nisi varicosas ejusdem nominis venas; ruptis autem his varicibus, vel faecum induratarum abrasione, vel sanguinis congesti vi distendente, fluxum haemorrhoidalem sequi debuisse, ac si solutae continuitatis tantum sequela atque effectus foret. Ut hanc sententiam stabiliret Vesalius, hominis sectionem refert, (cui lien atque jecur mirum in modum induruerant, et qui sanguinis ex haemorrhoidibus fluxu, per intervalla laboraverat) in quo vena haemorrhoidalis interna, sub coli intestini fine, et tota recti longitudine, pollicis fere crassitatem aequaret. Nimirum, haud fatis facile erat sanguinem per jecur ejusmodi transire, sicut monuit Morgagnus, et, ob ingentem hujusce venae longitudinem, in hac, potius quam in aliis imi ventris venis, sanguis accumulari debuisset. Clarissimus quoque Morgagnus, qui morborum causas non minus sedulo quam feliciter investi-

gavit,

gavit, sequentia quoque habet \*. ‘ Quantum au-  
 tem eae venae se expandant in viro quodam ani-  
 madverti, bono corporis habitu, et ad plenum  
 accedente, quem ex vulnere sub axilla mortuum  
 Bononiae secui. Huic extremum intestinum,  
 quod haemorrhoidibus obnoxium fuisse appare-  
 bat, cum esset intus varicosis venarum nodis in-  
 aequale ; majorem ex his perattente inspiciens,  
 miratus sum, cum ipso, qui non modico alioquin  
 distendebatur sanguinis grumo, non nisi tenuissi-  
 ma sanguifera vascula communicare, ut evidens  
 esset, aliquam perekilem venam in eam fuisse  
 amplitudinem dilatatam.’ Gravi adeo auctoritate  
 muniti, nobis quidem vitio verti non potest, si  
 horum medicorum, jure celeberrimorum, opinio-  
 ni assentiamur.

Quamvis vero nobis persuasum sit, varicosas  
 venarum ani distensiones, inter tumores haemor-  
 rhoidales recenseri debere, ex hisque varicibus,  
 modo jam dicto ruptis, sanguinem effundi ; lu-  
 benter tamen fatebimur, sanguinis effusionem,  
 in illam laxam telam cellulofam, intestini recti  
 finem obsidentem, hisce tumoribus frequentius  
 occasionem praebere.

Sanguis

\* Epist. 32. art. 10. ad finem.

Sanguis effusus saepe absorbetur, tumoresque subsidunt, dum cutis, quae, ob nimiam distensionem, tonum vimque suam renitentem amisit, rara atque pendula, novae congestioni apta, manet. Quando autem per longum tempus perduraverunt illi tumores, materia lymphatica effusa sensim cogitur, atque texturam organicam induit, non secus ac in illis polyposis concretionibus, (quas multum referunt), quae in naso et utero quandoque observantur. Neque majoribus venis praediti sunt illi tumores verrucosi, quam aliae corporis partes.

Verisimile est sanguinem effusum ex arteriis plerumque derivari. Quamvis enim sanguis justo majori copia in foliis venis haemorrhoidalibus primo accumuletur, exinde vero, impedito sanguinis ex arteriis transitu, in his quoque coniectio aliqua obtinere debet. Distenta vero atque stimulata vasa haec arteriosa, fibris muscularibus instructa, atque vi resiliente pollutia, in fortiores et frequentiores contractiones cidentur, totumque sistema arteriosum, per consensum, in similes motus rapiunt. Humorem primo tenuem atque serosum, per oscula nonnihil patefacta exprimunt, postea vero sincerum sanguinem fundunt. Neque aliter rationem reddere possumus sitis, calo-

ris aucti, pulsus frequentis validi atque duri, aliorumque pyrexiae symptomatum, quae hunc fluxum antecedunt vel comitantur, et quae ex causis localibus originem ducunt.

Notari vero meretur, quod, si venae varicosae in immanem molem distendantur, illae quoque sanguinem fundere possint; et non desunt etiam medici qui credunt, inversam venae portae actionem ad hunc quoque finem conspirare; talem vero effectum omnino vetant circulationis leges.

### METHODUS MEDENDI.

Cum vero fluxus haemorrhoidalis congestionis locali, atque universi corporis plenitudini, subveniat, malaque symptomata, quae illum praecedunt, per aliquod tempus saltem sublevet, in illa opinione haerebant omnes illi medici, qui illustrissimi Stahlii sententiam amplexi sunt, ac si fluxus iste semper salutaris esse deberet, et nunquam cohibendus, vix etiam morbosus censendus, sed potius naturae beneficium, nisi diutius insistat, functiones corporis laedat, viamque ad

leuco-

leucophlegmatiam, cachexiam, aliosque morbos chronicos, sternat. Junckerus atque Hoffmannus, qui opinioni nunc recensitae plenissimam fidem adhibuerunt, totam praxim eo dirigebant, ut fluxum haemorrhoidalem nimium intra debitos limites compescerent, suppressumque iterum revocarent.

Multos quoque morbos recensent, (quos item enumerare non minus taediosum quam inutile foret), in quibus haemorrhoides fluentes vel integrum solutionem, vel saltem insigne levamen, attulerunt.

Certe sanguinis per sedis venas secessus congestiones abdominales sublevare, atque diathesin phlogistica tollere, potest. Satis quoque notum est, jecinoris atque renum inflammations hac evacuatione quandoque solvi. Sed non inde sequitur, haemorrhoides faustum eventum semper fortiri, atque continuo promovenda esse illarum molimina, sicut multi voluerunt. E contra, jam docuerunt experientia atque morborum exempla, auctoribus supra memoratis etiam relata, solos fere levatos fuisse illos morbos, qui haemorrhodi suppressae originem suam debuerant.

Sed,

Sed, si venienti morbo occurratur, non tantum praecavetur affectio haec molesta atque injucunda, sed ejus sequelae, quae vitam ipsam in discrimen aliquando inducunt, nunquam supervenire possunt. Ad minuendam plethoram jam praesentem, vel futuram praecavendam, summis quoque laudibus effertur haemorrhoidis. Sed breve, imo etiam fallax omniō levamen, in hac corporis conditione praebet. Depletio enim partium solidarum tensionem, cui praecepue innititur tonus, imminuit. Vasa laxata parumque resistentia justo majorem distensionem facile patiuntur, atque congectioni idonea manent.

Praeterea, dum lente evacuatur sanguis, cordis arteriarumque actio sensim minuitur, humores minori quam decet impetu in vasa exhalantia impelluntur, et, propter vis vitalis defectum, excretiones parum promoventur, sic ut humoris amissi copia retentione hac insolita non tantum brevi compensetur, sed etiam plethora magnopere augeatur. Et ex binis his causis simul conspirantibus, vasorum nempe laxitate, per haemorrhagiam inducta, et excretorum retentione, facile intelligitur, quomodo sanguinis amissi dispendium, (modo ne corporis vires multum labefactentur),

tur), intra paucos tantum dies in integrum restituatur, sicut demonstravit illustris Dodart.

Praeterea, haemorhois, quamvis ex causis localibus primam originem duxerit, tamen saepius repetita cum reliquo corpore arctissimum nexus adipiscitur, et acerbos dolores, pessimasque molestias, (uti ex praecedentibus patet), in illo inducit. Sanguinis jactura ipsam mortem quandoque arcessit, vel ad morbos fere immedicabiles viam sternit: Haemorrhoidem, circa septuagesimum aetatis annum cessantem, excipit apoplexia vel paralyfis: In illis etiam morbis quibus subvenire dicitur, salutares ejus effectus semper incerti, nunquam vero stabiles sunt. E contra, corpus in posterum iisdem malis magis obnoxium reddunt. Et, si nimiae vasorum plenitudini obviam ire necesse sit, non desunt certa atque tutu auxilia, quibus hoc perfici possit. Omnes istae rationes nunc recensitae saudent, semper praecavendam esse primam hujus morbi invasinem \*. Sed, si diutius jam persistenter haemorhois, plethora universalis tollenda est; et, si causis occasionalibus sedulo occurratur, in plerisque fluxus moderari sensimque cohiberi potest.

Sed

\* Vid. cel. de Haen, de haemorrhoid. utilit. ac damno, c. 3. par. 17. et 21. &c.

Sed fatendum est, minime tutam esse integrum hujus evacuationis suppressionem, in illis quibus vitiata partium structura jam obtinuerit, vel in quibus haemorrhœis saepe repetita arctum commercium cum universo corpore acquisiverit; perpauci aegri adeo morigeri sunt, ut severum vitae regimen servare, atque idonea medicamenta adhibere velint, ut ex hoc morbo liberi manent.

Si cuivis morbo criticam solutionem afferat haemorrhœis, illo sublato, nemo inficias ibit, supervacaneam, idcirco cohibendam esse debere hanc evacuationem.

Ex praemissis, duo tantum medendi consilia oriuntur.

1mo, Plethoram universi corporis tollere, futuramque praecavere.

2do, Congestionis localis causis occurrere.

Ut priori satisfiat, oportet talem rationem inter humores ingestos atque egestos obtineri, ut hi majori copia excernantur, quam illi ingerantur. In hunc finem quam maxime inserviunt exercitium atque victus imbecillis.

Exercitium omnes excretiones, praecipue vero exhalationem per cutim, adauget, vasa quoque roborat, et, debitum tonum illis impertiendo, facit,

cit, quo minus ultra modum distendantur, vel congestioni obnoxia sint. Ambulatio atque vectio in rheda, omnibus aliis exercitationibus anteponi merentur. Quamvis enim equitatio sanguinis circuitum in visceribus abdominalibus expedit, tamen, si paulo vehementior fuerit, repetitae corporis succussionses sanguinem in vasa haemorrhoidalia impellunt, imprimis in illis, qui hunc morbum saepius passi sunt, et in quibus haec vasa debita atque idonea renitentia carent. Insuper, multis alvum siccum reddit, et saepe etiam calorem, irritationem, et intertriginem, circa intestini recti finem, inducit. Cujuscunque vero generis fuerit exercitatio, ad levem laffitudinem tantum, non vero ad fatigationem, protrahi debet.

Victus mediae materiae esse debet. Farinacea, legumina, atque fructus horaei praecipue commendantur; quia, pro rata parte, minus nutrit quam caro animalis, ideoque plethoram minime adaugent; et cum neceesse sit, ut majori copia ingerantur, mole quoque sua intestina distractunt, eorumque motus naturales carent, alvumque lubricam reddunt.

Lac quoque optimum alimentum praebet, nisi forsan constipationem inducat. Saccharum vero

illi adjectum, ejus coagulationi obfistendo, hoc impedimentum multum praecavere solet.

Cibus animalis minori tantum copia sumendus, non vero omnino excludandus, nisi maxima fuerit plethora, vel fluxus ipse jam instet: Caro enim majori stimulo pollet, et motum peristalticum intestinorum excitat. In illis quoque, qui huic morbo obnoxii sunt, ventriculus quasi resolvitur, concoctio difficile perficitur, et sola vegetabilia ingesta in acidum ruunt, ructum, vomitum, pyrofum, aliaque vitiatae coctionis symptoma, brevi inducunt, nisi his occurratur modico cibi animalis usu.

Sola haec vivendi ratio plerumque sufficit, tum ad praecavendam plethoram, tum ad alvum solutam reddendam; si vero aliquando minus respondeat alvus, sola purgantia leniora usurpanda sunt, ut cremor tartari, infusum tamarindorum, manna, sulphur, magnesia, oleum ricini quoque, nisi ventriculo minus gratum vel rancidum fuerit; quando enim in pharmacopoliis venale prostata, raro hoc vitio integre caret. Sedulo autem vitanda sunt omnia cathartica fortiora seu acria, quae, dosibus etiam refractis exhibita, ob rationes supra dictas, quam maxime nocent.

Jam

Jam vero, sublata vel saltem insigniter immunita plethora, medicamenta roborantia tonica (quorum praecipua sunt cortex Peruvianus, et chalybs praeparatus) optimos effectus edunt, maxime vero, si ex laxitate atque atonia tubi intestinalis primam originem duxerit morbus. In aquas frigidas quoque descendere debet aeger; sed, si haemorrhoidum molimina jam percipiuntur, non omnino periculo vacat haec immersio, et tutius est ab illa abstinere, dum imminentis fluxus quaevis suspicio adhuc supereat.

Paroxysmo haemorrhoidalali nunc saeviente, perfecta quies animi corporisque aegris concilianda est. Sedulo vitandi sunt spiritus fermentati, calor externus, cibus animalis: Et omnis generis acria vel stimulantia fluxum effusorem redundunt, doloresque adaugent. Diluentia aquosa, acido limonum, vel potius cremore tartari acidulata, atque serum lactis, quod alvum lubricam reddit, multum juvant.

Tentatis autem his auxiliis, si symptomata febrilia adhuc urgeant, vena perduntenda est. Et, si non respondeat alvus, frequens vero sit ad dejiciendum stimulus, enemata oleosa seu mucilaginosa, quatuor vel sex unciarum, saepius injicienda sunt. Faeces enim induratas diluunt, viasque

per quas exire debent lubricant; per longum etiam tempus retineri possunt, quia intestinum parum distendunt, neque ejus contractionem, neque desidendi stimulum, excitant.

Situs corporis recumbens ad moderandum profluviū multū confert. Sed si vasa disrupta ingentem sanguinis copiam fundant, non sine mortis vel syncopes metu, ad fortissima adstringentia, interna atque externa, confugiendum est. Et, si haec vasa oculis patent, vitriolum calcinatum, vel talia remedia, illis admovere sine noxa licet. Huic vero non secus ac aliis effusioribus haemorrhagiis, animi deliquium supervenisse, optimo remedio est; idcirco nulla arte impediri debet.

Aliquando pars quaedam intestini recti per anum elabitur, constringensque sphincter intestinum pendulum intercipit, vasaque, imprimis venosa, comprimit, congestionem, imo inflammationem, quandoque inducit. Intestinum quacyus in locum priorem atque naturalem reponi debet, aeger supra lectum extendendus, atque sensim et per vices tentanda est reductio, digitis oleo inunctis, incipiendo ex illa portione quae ultimo excidit. Si vero inflammatio jam adfit, hirudines atque cataplasmata emollientia partibus affectis

affectis admovere convenit, donec laxetur sphincter, tensioque intestini ipsius inflammatoria sublata fuerit. Molestissimum hocce symptoma impri-  
mis illis contingit, qui praesidia supra laudata ne-  
gligunt, et qui idcirco faeces induratas, atque  
ultra modum crassas, reddunt. Quandoque vero  
tanta est intestini recti atonia atque raritas \*, ut,  
quo fusior alvus, eo major sit ani prolapsus. Ta-  
libus vero aegris neque praestantius neque prae-  
sentius remedium dari potest, quam aqua frigida  
alumine vel alio adstringente leviter imbuta, et  
faepius de die per anum injecta: Artificia quo-  
que mechanica non omnino inutilia sunt.

Quando obstructio hepatis, vel alicujus abdo-  
minis visceris, huic morbo occasionem praebet,  
si medicinae adhuc locus, illa summis viribus re-  
feranda est. In hunc finem plura medicamenta  
commendantur, quae laudes quibus efferuntur  
minime merentur. De duobus tantum hic ver-  
ba faciemus, cremore, nempe, tartari, atque mer-  
curio dulci.

Experimenta ab erudito Home instituta, fae-  
piusque repetita, docuerunt, cremorem tartari  
maxima vi deobstruente pollere; et ipse bis terve,  
pulcherrimo

\* Vid. Cullen Pract. of Phys. parag. 918.

pulcherrimo successu, exhibitum vidi, in Regio hujus urbis Nosocomio; quando hepar infarctum atque obstructum fuisse docebant ejus moles atque tactus. Drachmae quatuor vel sex multa aqua dilutae, et quotidie per septimanas aliquot exhibitae, raro spem fallunt. Vel, si optato successu careat hoc remedium, saltem alvum lubricam plerumque reddit, et frequentissimæ haemorrhoidis causæ sic occurrit.

De hydrargyri virtutibus fusius tractare, a re omnino alienum foret. Satis vero notum est, jecinoris obstrukciones, post febres intermittentes vel remittentes residuas, saepe feliciter curari mercurio dulci, refractis dosibus, diutius vero continuatis, exhibito. Et in India Orientali, ob egregios effectus, quos talibus in morbis, illic frequentissime occurrentibus, exerit, quasi optimum specificum decantatur.

Si tumores haemorrhoidales indurati mole multum augeantur, multasque molestias creent, excindi quidem debent. In serpiginem enim haemorrhoidalem dictam, (in qua tumorum superficies leviter ulcerata, humorem mucosum plorat, atque importunissimum ani pruritum creat), vel in suppurationes molestas degenerant; et, nisi debita atque idonea remedia adhibeantur, cisisime

tissime in podicis abscessus, atque ani fistulas, transeunt.

Quando tales tumores altius in intestino recto haerent, in ulcerationes molestissimas abeunt, acerbissimosque dolores faciunt. Tunc quidem tres quatuorve unciae infusi lini, cum guttis quadraginta vel quinquaginta laudani liquidi, semel vel bis de die per anum injectae, non tantum dolores sedant, sed opium, vi sua stimulante, talia ulcera laxa atque spongiosa in melius vertit, atque benignam suppurationem inducit. Imo gangraenam praecavere vel etiam incipientem solvere valet, sicut nuperrime docuit illustris Pot.

Si carcinoma in intestino recto jam adsit, nulla salutis spes superest, nisi forsan aegro medeatur arte chirurgica.

F I N I S.

VE  
S. G. LOUIS AND MARY 200  
et huius in seculorum eternam uincula  
et hoc confundit omnes regnantes, quae  
deinde annuntiavit eis quod illa  
metropoli sui. dicitur potius ex parte  
eiusdem vestrum, ut deinceps  
latus aliusque in seculum eternum  
et aliis non sicut vestrum, tunc  
alii secundum vestrum, quod potius  
deinde annuntiavit eis quod illa  
metropoli sui.



